

Bibliothèque numérique

medic@

**Gabon, Honoré - candidat / Amy,
Toussaint - président. - [De
exomphalo]**


1752.


***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°14***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0014](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0014)







D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.



A est naturæ, cuique sedulò providæ, lex ;
ut fœtus utero incarceratus, si quidem non per-
fectis ut in adulto organis, aliter & vivat, aliter
& crescat. Funem Umbilicalem, quo ventris ejus
media pars perforatur, ut sanguinem à matre acci-
piat, residuum-que ad eam repellat, mireris.
Verùm statim atque respiratione gaudet fœtus, alia est circulatio :
funis Umbilicalis ligaturâ stringitur, muscutorum-que abdomina-
lium alternis contractionibus prope abdomen sejungitur : undè
cicatrix nodosa, quam Umbilicum vocant.

MULTORUM morborum sedes Umbilicus : hi nempe hæmorrhagia , varices , abscessus , exulcerationes , tumores aquosi , nec rarò Exomphalos , cum debilior cicatrix partibus contentis aditum præbet.

OMISSIS aliis Umbilici morbis , de Exomphalo tantùm agemus. Hujus morbi causam callere , signa detegere & curationem suscipere desideranti , Umbilici structuræ , valorum , musculorum abdominis , peritonæi & partium circà illud foramen fluctuantium investigatio necessaria.

NON alias ferè mutuatur differentias & denominationes Exomphalos ac alii abdominis Ramices : itaque simplex , si intestinum solum prorumpat , & Enter-omphalos ; si solum omentum , Epiplo-omphalos : compositus tumorem ex intestino & omento conflatum exhibet , & Entero-épiplo-omphalos , aut Epiplo-enter-omphalos nuncupatur : complicatum verò comitantur alii morbi v : g : hydrops , varices , sarcoma , aut accidentia.

INTESTINUM jejunum in Umbilico ut plurimùm prominere docet partium situs ; quandòque tamen arcus coli prolapsus experientia comprobatur : nec mirum : mole enim jecoris , vel amplitudine ventriculi illud intestinum deprimitur.

CUR pueri , cur scemina , immò viri obefiores Exomphalo sint magis obnoxii , ex Umbilici cicatricis debilitate , ex graviditate , ex adipe uberiori in involucri & omento liquet.

UMBILICI Ramicum diagnosi & prognosi ad generalem Herniarum descriptionem referuntur. Quid in chirurgiæ exercitio praxis offerat , exponere satius nobis videtur.

IN ipso Umbilico non semper patet Exomphalos , qui circum sæpè sæpiùs , præsertim in adultis , proflit : & ni tumor ultra modum augeat , Umbilici cicatrix perspicua remanet.

CUM pro mole suâ compactius omentum includit intestinum , hoc sensibus tamen latet , usquedum strangulationis diagnosi innotescat.

IN Exomphali simplicis curatione duo requirenda, partium nempe prolapsarum repositio & retentio : illa taxi, hæc brachærio adimpletur : quæ quidem curatio in pueris non rarò radicalis evadit.

PARTIUM repositioni nonnunquàm obstant strangulatio, adhæsiō. Tumorensus & renitens, inflammatio, singultus, vomitus, febris &c. strangulationem denotant. His absentibus, si elapsa partim aut nequaquàm in abdomen refundi possint, adhæsiōnem asseras.

ADHÆRENTES vidimus Umbilici Ramices acuminatos, botuli figuram æmulantes, hi verò quamlibet fasciam respuunt, & solam victûs rationem expostulant.

PORTENTOSI haud rarò in scæminis & obesioribus videntur Exomphali. Si strangulentur partes elapsæ, in histum sublevandis properato opus est : sin minùs, ea, quæ proruperant, suspensorio, laminâ-ve accommodatâ subjiciantur melius quàm intùs reponantur.

SI accidentia Ramicis strangulationem denotent, irritaque fuerint remedia huic scopo celebranda, ad operationem, quæ quidem hoc in casu rariùs proficit, citò citiùs deveniendum.

EXCISIS tegumentis, sacco-que, si adsit, naviter attendendum in Entero-epiplo-omphalo ad omnes omenti giros persæpè intestinum multis in locis incarcerantes.

SI ad Epiplo-omphali ingentioris voluminis curationem instituat operatio, ligaturâ ritè peractâ, omentum juxta foramen incidere longè præstat, quàm altiùs dilatare, ut intùs refundatur.

IN dilatazione Scalpellum versùs partem sinistram injiciendum : quamvis enim vasa Umbilicalia fiant ligamentosa, quandoque tamen sanguine turgida ad Umbilicum usque in adulto deprehendimus.

4

RADICALEM Exomphali curationem decantaverunt veteres :
partibus in abdomen repullis tegumenta filo ligari suadebant :
hanc methodum prorsus rejiciendam censemus.

*de Lion en
normandie* Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. TUS-
SANO AMY, Artium & Chirurgiæ Magistro, Noso-
comii dicti LES INCURABLES, Primario Chirurgo, tueri
conabitur HONORATUS GABON, Leonicensis, Artium Li-
beralium Magister, & Nosocomii Parisiensis Chirurgus
præcipuus.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 20^a. Maii à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. Anno Domini 1752.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

S O L E M N I C O O P T A T I O N E

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi 1752,